

87. Et quidem usque adeo excludit, ut Apostolus disertè testetur: Ideo Christum descendisse in inferiores partes terra, & ascendisse ὑπερῶν πάντων τῶν οὐρανῶν, ut omnia impleret.

88. Quem locum explicans Stapulensis inter alia sic habet: Corpus Christi cœlum implet & terram. Est enim ubicunque verbum est. Nam verbum caro factum est: Quare verbum nusquam est sine carne, neque illa sine verbo.

---

#### IV. SESSIO AD DEXTRAM.

89. Ceterum uti diximus hoc ipsum evidenter commonstrat descriptio termini ad quem Christus ascendens in cœlum, pervenit: nempe Sessio ad dextram Patris.

90. Faceffant autem & hic omnes carnales cogitationes, quibus sæda ὀξύμογία mysterium hoc nonnulli penitus enervant & tum sessionem tum dextram DEI corporali modo accipiunt. Bulling. in tract. verbor. cœnae. Beza tom. 1. p. 338. & 601.

91. Deum Spiritum esse, ac proinde partium sive membrorum corporeorū prorsus expertem ut credamus, religio Christiana iubet. Vesania ergo fuerit dextram Dei de situ corporeo aut relatione, vel de loco aliquo interpretari. Scri-